

liter ab essentia alienum, superaddunt essentiae : Sed hoc efficiunt tantummodo, ut Pater à Filio, Filius à Spiritu distinguatur Sancto. Distinctio vero non est compositio.

§. XII.

Sic brevibus, ab inconvenienti quacunq; connotatione, relatione eminentiori liberata, post necessariam digressionem, ad ipsa applicanda progrediemur requisita. Primo quidem, æterno nostro principio, prioritatis aptare requisitum conabimur. Quæ prioritas (cum divinæ essentiae, non minus simplicissima unitas, quam infinita æternitas, religiosis omnibus in confessio sit Philosophis;) minimè vel tempore, vel naturâ talis esse potest. Non enim citra grave mentis humanæ paradoxon, in una simplici atq; imateriali substantiâ, fingi prius vel posterius, aut Patri ἰμορσίω, postponi consubstantialis Filius posset. Neq; etiam constans ac incomprehensibilis æternitas, rerû sibi metas, temporumq; motus, poni patitur. Jubet illa ipsa, vel primo confestim intuitu, rationem de omni desperare initio pariter atq; exitu. Transeuntur itaq; hâc nostra prioritate, tempora, transcenduntur meritò, ut *D. Hilarius Lib. II. de Trinitate* inquit, secula, tolluntur ætates. Quod si enim vel ἰσιώδης vel θεοικη in Trinitate SS. daretur prioritas, hâc ipsâ, eversò latissimò principio, dependentia in Trinitate inferretur ac causalitas. Adeoq; & ἀξιοκρατικὴ præeminentia inter divinitatis obtineret personas; ut una non amplius esset divinitas, æqualis gloria, nec coæterna majestas. Ubi enim, propriè & accurate loquendo, ordo naturæ est, ibi & quædam inæqualitas dependentiæ est. Conf. jam commend. *Excell. Grauer. Disp. IV. quest. IX. §. 7.*

§. XIII.

Elucescit proinde clarissimè, quali & quantâ præeminentiâ, præ relatis finitis, infinita gaudeat relatio. Cum enim relata materialia, in materiali, vel absolutâ suâ existentia, ratione fundamenti atq; subjecti, prius existere possint ac posterius, & in esse saltem formali & respectivo, simul ad se invicem referantur; maximâ sanè excellentiâ, utriusq; simultatis perfectionem, divina sibi vindicat relatio. Nam tum in absoluta independentis essentiae consideratione, tum in respectiva personarum procedentium relatione, coexistit, non rimanda, sed admiranda Trinitas. Quoad essentialem illius primitatem

mitatem